

psisse; ut sic dicatur Deus homo, sicut cuprum figuratum dicitur homo, quia habet similitudinem hominis. Similiter etiam illi, qui posuerunt quod in Christo anima et corpus non fuerunt unita, non possunt dicere quod Deus sit verus homo, sed quod dicatur homo figurative ratione partium. Sed utraque harum opinionum supra improbata est<sup>1</sup>. Alii vero e converso ponunt veritatem ex parte hominis, sed negant veritatem ex parte Dei. Dicunt enim Christum, qui est Deus et homo, esse Deum, non naturaliter, sed participative, scilicet, per gratiam, sicut et omnes sancti viri dicuntur Dii, excellentius tamen Christus præ aliis, propter gratiam abundantiorum. Et secundum hoc, cum dicitur: Deus est homo, ly Deus non supponit verum et naturalem Deum. Et hæc est hæresis Photini, quæ supra improbata est<sup>2</sup>. Alii vero concedunt hanc propositionem cum veritate utriusque termini, ponentes Christum et verum Deum esse, et verum hominem, sed tamen veritatem prædicationis non salvant. Dicunt enim quod homo prædicatur de Deo per quamdam conjunctionem, vel dignitatis, vel auctoritatis, vel etiam affectionis aut inhabitationis. Et sic posuit Nestorius, Deum hominem esse, ut per hæc nihil aliud significetur, quam quod Deus est homini conjunctus tali conjunctione, quod homo inhabitetur a Deo, et uniatu ei secundum affectum, et secundum participationem auctoritatis et honoris divini. Et in similem errorem incidunt, quicumque ponunt duas hypostases vel duo supposita in Christo; quia non est possibile intelligi, quod duorum, quæ sunt secundum suppositum vel hypostasim distincta, unum proprie prædicetur de alio, sed solum secundum quamdam figurativam locutionem, in quantum in aliquo conjunguntur; puta, si dicamus Petrum esse Joannem, quia habent aliquam conjunctionem ad invicem. Et hæc opiniones supra improbatæ sunt<sup>3</sup>. Unde, supponendo secundum veritatem Catholicæ fidei, quod vera natura divina unita est cum vera natura humana, non solum in persona, sed etiam in supposito vel hypostasi, dicimus hanc propositionem esse veram et propriam: Deus est homo, non solum propter veritatem terminorum (quia, scilicet, Christus est verus Deus, et verus homo), sed etiam propter veritatem prædicationis. Nomen enim significans naturam communem in con-

<sup>1</sup> Q. 5, art. 1 et 2.

<sup>2</sup> Q. 2, art. 6.

<sup>3</sup> Q. 2, art. 6.

creto, potest supponere pro quolibet contento sub natura communi; sicut hoc nomen, homo, potest supponere pro quolibet homine singulari. Et ita hoc nomen, Deus, ex ipso modo suæ significationis potest supponere pro persona Filii Dei, ut etiam in prima parte habitum est<sup>1</sup>. De quolibet autem supposito alicujus naturæ, potest vere et proprie prædicari nomen significans illam naturam in concreto, sicut de Socrate et Platone proprie et vere prædicatur homo. Quia ergo persona Filii Dei (pro qua supponit hoc nomen, Deus) est suppositum naturæ humanæ, vere et proprie hoc nomen, homo, potest prædicari de hoc nomine, Deus, secundum quod supponit pro persona Filii Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod, quando formæ diversæ non possunt convenire in unum suppositum, tunc oportet quod propositio sit in materia remota, cujus subjectum significat unam illarum formarum, et prædicatum aliam. Sed quando duæ formæ possunt convenire in unum suppositum, non est materia remota, sed naturalis vel contingens; sicut cum dico album esse musicum. Natura autem divina et humana, quævis sint maxime distantes, tamen conveniunt per incarnationis mysterium in uno supposito, cui neutra illarum inest per accidens, sed per se. Et ideo hæc propositio: Deus est homo, non est neque in materia remota, neque in materia contingenti, sed in materia naturali. Et prædicatur homo de Deo, non per accidens, sed per se, sicut species de sua hypostasi, non quidem ratione formæ significatæ per hoc nomen, Deus, sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanæ naturæ.

Ad secundum dicendum, quod tres persone divinæ conveniunt in natura, distinguuntur tamen in supposito, et ideo non prædicantur de se invicem. In mysterio autem incarnationis, naturæ quidem, quia distinctæ sunt, de se invicem non prædicantur, secundum quod significantur in abstracto (non enim natura divina est humana), sed, quia conveniunt in supposito, prædicantur de se invicem in concreto.

Ad tertium dicendum, quod anima et caro significantur ut in abstracto, sicut divinitas et humanitas. In concreto vero dicuntur animatum et carneum sive corporeum, sicut et ex alia parte Deus et homo. Unde utrobique abstractum non prædicatur de abstracto, sed solum concretum de concreto.

Ad quartum dicendum, quod hoc nomen,

<sup>1</sup> 1 p., q. 39, a. 4, ad 3.

homo, prædicatur de Deo, ratione unionis in persona, quæ quidem unio relationem importat. Et ideo non sequitur regulam eorum nominum, quæ absolute prædicantur de Deo ab æterno.

## COMMENTARIUS.

1. Affirmat D. Thomas illam propositionem esse veram et propriam, tam ex parte extremorum, quam ex parte copulæ seu prædicationis, quod satis clare explicat, refellendo contrarios errores, et confirmando doctrinam fidei, de qua nullus relinquere dubitandi locus; neque est quod in illius confirmationem plura hoc loco afferamus, cum et supra, q. 2, et disputatione præcedenti, satis multa allata sint. Nonnulla vero leviora dubia breviter expedire oportet, ut littera D. Th. clarior sit.

2. De subjecto hujus propositionis, Deus est homo. — Primum dubium est, an in ea propositione, Deus supponat indefinite pro hoc Deo, et quolibet ejus supposito, vel tantum pro persona Verbi. Et ratio dubii est, quia nomen Deus, ex se habet illam indefinitam suppositionem; ergo non est cur dicamus in ea propositione mutari, cum ad veritatem propositionis hoc necessarium non sit; quia ad veritatem propositionis indefinitæ satis est ut prædicatum vere conveniat uni supposito subjecti, quamvis subjectum pro aliis multis supponat, ut constat in hac propositione, homo est albus, vel homo est Deus. In contrarium vero est, quia D. Thomas hic, et in simili, art. sequent., ad 2, et 1 p., q. 39, art. 4, indicat, illud subjectum determinari a prædicato, ut tantum supponat pro persona Verbi, quod etiam indicat Damasc., lib. 3, c. 4; et Nicet., lib. 3 Theol., c. 16. Et quamvis parum referat hoc vel illo modo loqui, quia in utroque dicendi modo constat de veritate et proprietate propositionis, nihilominus posterior modus loquendi videtur magis usurpandus, quia, si in illa propositione subjectum quasi indefinite supponeret, pari ratione etiam in hac propositione negativa, Deus non est homo, haberet eundem modum suppositionis, quia sola negatio adjuncta verbo non variat suppositionem extremorum. Esset ergo illa propositio negativa, vera, quia prædicatum vere negatur de aliquo supposito pro quo subjectum supponit, scilicet, de Patre, quod satis est ad propositionis indefinitæ veritatem; consequens autem est falsum, et contra com-

munem modum concipiendi et sentiendi, non solum Theologorum, sed etiam Christianorum omnium; ex quo colligimus, in hujusmodi locutionibus et propositionibus, communem sensum esse, loqui de Deo ratione illius personæ, in quam potest prædicatum convenire, et hac ratione determinari prædicatum a subjecto, ut pro illa tantum supponat; sicut etiam dicimus in hac propositione, Deus generat, Deum supponere pro Patre; et ideo negativam, Deus non generat, falsam esse. Et ratio addi potest, quia, cum Deus sit terminus singularis, semper supponit pro determinato supposito, juxta exigentiam prædicati, et nunquam habet indefinitam suppositionem, sed determinatam, sive illa sit pro una tantum persona, ut in dicta propositione; sive pro pluribus, quatenus in eadem singulari forma per prædicatum formaliter significata conveniunt, ut in hac: Deus est sapiens, et similibus.

3. De prædicato. — Secundum dubium est circa prædicatum illius propositionis, an homo dicatur univoce de Christo seu Deo, et nobis; nonnulli enim Theologi, præsertim Nominales, in 3, dist. 4, ausi sunt hoc negare, quibus consentire videtur Mars., q. 6; et Scot., d. 7, q. 1, dicit aliud esse prædicatum univocum, aliud prædicari univoce; hoc ergo prædicatum, homo, dictum de Deo, et de nobis, dicit esse univocum, quia est in se unum in specie et in conceptu et ratione sua; negat vero prædicari univoce, quia de Deo prædicatur denominative, cum supponat suppositum, cui potest convenire et non convenire esse hominem; de aliis vero hominibus dicitur intrinsece et essentialiter, qua ratione utuntur etiam Nominales. Sed ex ea ulterius concludunt, etiam ipsum prædicatum non esse univocum, quia homo non tantum significat naturam, sed etiam suppositum; at vero Christus et alii homines non conveniunt univoce in ratione suppositi et personæ.

4. Homo univoce dicitur de Christo, et de nobis. — Dicendum vero est primo, hominem dictum de Christo seu Deo, et aliis hominibus, esse quid univocum. Ita docuit D. Thomas supra, q. 2, art. 5, et non videtur posse cadere in dubium apud Catholicos; in Symbolo enim Athanasii dicitur Christus perfectus Deus, et perfectus homo; et in Conciliis sæpe supra citatis, vel eisdem, vel æquivalentibus verbis, sæpe id docetur, ut patet ex V Synod., can. 8, ubi Christus dicitur consubstantialis Patri secundum divinitatem, et consubstan-

tialis nobis secundum humanitatem; et in Concil. Lateran., sub Martin. I., can. 4, dicitur verus Deus, et verus homo consubstantialis nobis. Idem in VI Synod., act. 11, et in aliis Sanctis supra citatis. Ratio vero est, quia homo significat subsistens in humana natura; ex corpore et anima rationali composita; ergo ratio hujus nominis dicti de Deo et nobis, una est, quia natura humana in Christo et in nobis ejusdem rationis est, propter quod dicitur a Paulo, ad Philip. 2: *In similitudinem hominum factus*; in similitudinem, scilicet, specificam, atque adeo univocam. Et confirmatur, nam Christus tam vere, proprie et univoce est filius Virginis, sicut quilibet homo est filius matris suæ; ergo est tam vere et simpliciter homo, sicut alii homines, quia de ratione filii est ut sit ejusdem rationis univoce cum eo a quo procedit. Et hinc ulterius infero, hoc prædicatum non solum in se esse univocum, sed etiam univoce dici de Christo et de nobis, tum quia ratio prædicati univoci consistit in habitudine ad multa, de quibus eadem ratione dicitur; tum etiam quia rationes factæ non solum probant prædicatum in se esse quid univocum, sed etiam univoce convenire Christo, quia sub eadem omnino ratione dicitur homo, scilicet, quia est verum animal rationale, et verum individuum humanæ naturæ. Neque contra hoc obstat argumentum Nominalium; nam homo non significat formaliter subsistentiam, sed constitutum per humanam naturam; et ideo, si natura est ejusdem speciei et rationis, etiam homo erit ejusdem speciei et rationis, atque adeo univoce homo. Ad rationem vero Scoti respondetur, imprimis non procedere de hoc prædicato, ut dicitur formaliter de hoc homine, prout significatur hoc nomine, *Jesus*; nam ille tam per se et essentialiter est homo, sicut Petrus, et quilibet alius, et idem est de hoc homine, prout significatur hac voce *Christus*, quia etiam Christus significat constitutum per humanam naturam, ut constat ex Damasc., lib. 3, c. 3; Cyril., de Incarn., c. 1, et ex communi usu; ergo, ut sic, perse et essentialiter est homo. Nec refert quod sub nomine Christi utraque natura includatur, quia hoc non impedit quin simul sit perfecte et essentialiter Deus, ut in natura divina subsistit, et homo, ut subsistit in humana; ad rationem enim univoce prædicationis, satis est quod sub eadem ratione et habitudine dicatur prædicatum de subjecto, quamvis in subjecto plura includantur quam per prædi-

catum significantur. At vero, si comparetur hoc prædicatum, *homo*, ad Christum, ut significatur nominibus divinis, id est, ad Verbum Filium Dei, seu Deum, sic nonnullam dubitationem ingerit argumentum Scoti, supponit tamen ea quæ in dubio quarto tractanda sunt, et ibi commode expeditur.

5. *De proprietate hujus propositionis, Deus est homo.* — Tertium dubium est circa totam ipsam prædicationem, *Deus est homo*, an sit omnino propria. In quo non est nobis disputandum cum hæreticis, cum quibus jam satis actum est, sed solum proponitur dubium propter Durandum, qui, dist. 4, q. 2, nonnulla dicit correctione digna. Primum enim inquit, si quis credat mysterium incarnationis, non referre, etiam si hunc modum loquendi neget, *Deus est homo*, quia, cum rem non neget, sed locutionem, non errabit in fide. In quo valde ipse errat, nam ex verbis inordinate prolatis hæresis incurritur, et si quis uno modo neget veritatem fidei, licet alia via rem fidei confiteatur, in hæresim nihilominus labitur; nam, licet per ignorantiam sibi ipsi contradicat, tamen a ratione formali fidei discedit, cum aliquid revelatum a Deo falsum esse dicat, ut, si quis, confitens tres personas unius essentiæ, neget illas esse unum Deum, hæreticus est; ita ergo dicendum est in præsentem, et ideo Durandus non negat hanc propositionem esse veram et propriam: *Deus est homo*. Dicit tamen secundo, non esse tam propriam sicut hanc: *Petrus est homo*, unde addit etiam non esse omnino propriam. De quo etiam a cæteris Theologis graviter reprehenditur, et merito, quia Scriptura docet, et Concilia definiunt, et sancti Patres tradunt, Deum vel Christum esse hominem cum omni veritate et proprietate, et Beatam Virginem propriissime et verissime esse matrem Dei et hominis; cum enim veritas propositionis ex illius significatione pendeat, sicut illa propositio omnino vera est, ita etiam in significatione terminorum omnino propria veritatem habet. Rursus in modo prædicationis nullam habet impropriam; nam, postquam Deus assumpsit humanam naturam, illud prædicatum formaliter significat id quod est veluti forma subjecti; ergo omnino proprie prædicatur de illo. Denique, cum dicimus Petrum esse hominem, significamus Petrum esse suppositum naturæ humanæ; sed hoc idem significamus in illa: *Deus est homo*, scilicet, Deum esse suppositum naturæ humanæ, quod æque verum est.

6. *Objectio prima. — Responsio. — Objectio secunda. — Responsio.* — Sed objicit Durandus, nam de Petro dicitur, *homo*, per se et essentialiter, de Deo autem quasi denominative; ergo non tam proprie. Respondetur (quidquid sit de antecedenti, de quo statim) negando consequentiam; potest enim propositio esse omnino propria in quacunque materia, et in quacunque qualitate propositionis, si tamen servet propriam significationem terminorum, et debitam habitudinem eorum. Sicut tam propria est hæc, *Homo est albus*, sicut hæc, *Homo est animal*, quamvis altera sit denominativa et in materia contingenti, altera essentialis et in materia naturali. Sed urget Durandus, quia in terminis substantialibus significantibus diversas naturas, non potest fieri propria prædicatio unius de alio, præsertim si sint termini absoluti, et non connotativi, et significant naturas perfectas et specificas, ut sunt Deus et homo. Respondetur, negativas propositiones fieri omnino proprias ex hujusmodi terminis, ut cum dicitur, *Homo non est equus*, quia propriissime significatur, suppositum unius naturæ non esse suppositum alterius. Et propterea, naturaliter loquendo, affirmativæ propositiones ex similibus terminis compositæ, non possunt esse veræ, quia non potest esse idem suppositum utriusque naturæ; tamen, si veritatem propositionis a significatione propria distinguamus, etiam hæc propositio affirmativa, *Homo est equus*, proprie significat, idem esse suppositum naturæ humanæ et equinæ, quamquam hoc falsum sit. Ac propterea, supposito mysterio incarnationis, absque mutatione ulla facta in significationibus terminorum, illa propositio, *Deus est homo*, et propria est et vera, quia per illam proprie significatur idem esse suppositum utriusque naturæ, quod verum est.

7. *Objectio tertia. — Responsio.* — Sed urget tandem Durandus, quia Deus dicitur proprie humanatus; ergo non ita proprie dicitur homo, quia idem terminus substantialis non potest utroque modo, et æque proprie prædicari de eodem subjecto. Respondetur negando consequentiam, et probationem ejus; quia, licet illa procedat in subjecto vel supposito, quod per formam simpliciter constituitur in suo esse, non tamen in subjecto seu supposito, quod in suo esse simpliciter supponitur formæ seu naturæ formaliter significatæ per prædicatum, et per illam solum constituitur in tali esse specifico. Nam tunc, licet

natura et unio sint substantiales, modus prædicationis et denominationis est tanquam a forma adventitia et extranea, et ideo, sicut aqua non solum dicitur calida, sed etiam calefacta, ita Verbum non tantum dicitur homo, sed etiam humanatum. Adde, hanc denominationem non proprie sumi ab ipsa humanitate ut sic, sed ab unione, a qua optime denominatur suppositum, cui humanitas unitur, non vero quod per ipsam simpliciter in esse constituitur; et ideo Petrus non dicitur humanatus, quod tamen proprie dicitur de Filio Dei; ab ipsa vero humanitate utrumque suppositum proprie denominatur homo. Proprium vero prædicatum denominativum ab humanitate sumptum, esset humanum; et hoc est ambiguum, nam interdum non sumitur hæc denominatio a substantiali natura, sed ab accidentali perfectione, et idem significat quod benignus, etc.; interdum vero significat essentialem differentiam, ut cum dicitur natura humana; interdum vero significat substantialem denominationem personæ constitutæ per naturam, ut cum dicitur persona humana; quæ etiam denominatio æquivoca esse potest, significare enim potest personam propriam et connaturalem humanitatis, sicut persona angelica, et hoc modo non potest hæc denominatio Christo tribui. Alio modo significare potest personam subsistentem in humanitate, et hoc modo interdum appellatur Christus persona humana, sicut Ambros., epist. 40, dicit in Christo esse personam hominis; et Damasc., lib. 3, c. 11, dicit esse hypostasim carnis, et Deum et hominem esse eundem propter personæ unitatem; sic enim ex græco vertendum est, et non: Propter personarum unionem, ut male vertit Billius; et ita loquuntur interdum Theologi, ut patet ex Cajetano supra, q. 2, art. 5; et Marsil., in 3, q. 6, art. 3, dub. 3, et aliis, quos infra referam, art. 12; et hæc circa corpus articuli.

8. *De qualitate ejusdem propositionis.* — Circa primum argumentum D. Thomæ occurrit quartum dubium de qualitate et materia hujus propositionis: *Deus est homo*, an, scilicet, sit per se vel per accidens, necessaria vel contingens, nam D. Thomas hic docet esse in materia naturali et per se. Idem in 3, d. 7, q. 4, art. 1. Idem Cajet. hic latissime; et Ferr., 4 lib. contra Gent., c. 45; Richard, in 3, d. 7, art. 1, q. 1, ad 3. Fundamentum D. Thomæ est, quia homo dicitur de Deo tanquam de supposito humanæ naturæ; ergo dicitur sicut species de individuo; ergo per se et quiddi-

tative; est ergo propositio in materia naturali. Et confirmatur, quia illa propositio est vera, ratione unionis duarum naturarum in eodem supposito; sed neutra conjungitur illi per accidens, sed per se. Addit vero D. Thomas illam propositionem esse per se, non ratione formæ significatæ per hoc nomen *Deus*, sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanæ naturæ; subintelligendum autem est, subjectum illud, *Deus*, per prædicatum determinari, ut supponat pro illo supposito, non utcumque, sed ut conjuncto humanæ naturæ, quod ut sic sub specie humana constituitur.

9. Contrariam sententiam sequuntur communius Theologi, in 3, d. 4 et 7; Bonav., d. 7, articulo primo, quæst. 1; Scot., quæst. 1; Gabriel, dubio tertio; Durand., quæst. 1, ad 2, et in d. 4, q. 2, ubi idem sentit Capreol., ad argum. Scoti contra 2 conclus.; Marsil., in 3, q. 6, ad 5, qui multas congerunt rationes, et sane difficiles. Prima, quia propositio affirmativa in materia naturali ita est vera, ut non possit esse falsa; hæc autem: *Deus est homo*, potest esse falsa; est ergo in materia contingenti seu libera in ordine ad divinam potentiam, nam in ordine ad naturalem potentiam est in materia remota. Secundo, quia propositio per se est vera formaliter, etiam cum reduplicatione; illa autem, de qua est quæstio, non est hujusmodi; nam si dicas: *Deus, in quantum Deus, est homo*, est falsa. Alias rationes omitto, quia dissensio est parvi momenti, pendens ex usu vel acceptione vocum, res enim ipsa constat. Dubitari enim non potest quin, sumptis illis terminis in propria significatione et suppositione, propositio illa per se non sit, neque in materia naturali, ut rationes factæ probant; quia prædicatum non est de ratione subjecti, neque ex natura sua cum illo connexum, non solum formaliter, sed neque etiam materialiter; humanitas enim, nec Deo, nec supposito divino est necessario et ex natura rei unita; sed hoc pendet ex unione libere facta a Deo. Sicut ergo in hoc sensu potest illa unio dici libera, et suo modo contingens, ita in eodem sensu posset illa propositio dici esse in materia contingenti, seu libera.

10. *Homo univoce dicitur de Deo, et nobis.* — Ulterius vero addendum est, etiam considerata illa propositione in hoc sensu, non esse dicendam prædicationem accidentalem, sed substantialem, tum ad vitandos errores, tum quia, quod prædicatur, est substantia, et veritas prædicationis in substantiali unione

fundata est. Et fere eodem sensu post factum mysterium potest dici aliquo modo per se, quia prædicatum est unum per se cum subiecto, et non per accidens; et similiter dici potest necessaria, quia ejus veritas fundatur in unione ex natura sua indissolubili et immutabili. Quæ omnia sunt vera, loquendo in rigorosa et propria suppositione terminorum; at vero, si ex communi usu intelligatur subiectum illud, *Deus*, trahi a prædicato ad supponendum pro persona Filii composita, et conjuncta humanæ naturæ, sic concedi potest propositionem illam esse per se, et in materia naturali; et ita locutus est D. Thomas, magis pie exponendo, et theologice, quam in rigore dialectico; unde fit hanc propositionem: *Jesus est homo*, esse propriissime in materia naturali, et per se, quia per illud nomen formaliter significatur individuum humanæ naturæ; et idem est censendum de hac: *Christus est homo*, quidquid Scotus et Gabr. dicant, quia etiam hoc nomen formaliter dicit humanitatem. Et, licet etiam dicat divinitatem, inde solum fit Christum per se et essentialiter dici Deum et hominem, quia nomen illud formaliter dicit individuum et suppositum utriusque naturæ. Et ex his facile expeditur difficultas ex dub. 2 huc remissa, scilicet, quomodo *homo* dicatur univoce de Deo et de nobis, cum de nobis dicatur per se et formaliter, non tamen de Deo; sequendo enim modum loquendi D. Thomæ, facile respondetur negando assumptum; considerando autem præcisam et rigorosam significationem et suppositionem terminorum, dicendum est id non esse contra rationem termini univoci, quia forma, quæ prædicatur seu applicatur subiecto, ejusdem rationis est, quamvis modus prædicationis sit diversus. Et si in hoc sensu dicatur prædicatio non esse univoca, quia modus seu qualitas prædicationis non est eadem, non est multum in verbis immorandum, quamvis caute et sine offensione loqui oporteat.

11. Quartum argumentum D. Thomæ (omissis 2 et 3, quæ expositione non indigent) est hoc: absolutum prædicatum conveniens Deo, est commune toti Trinitati; sed homo est absolutum prædicatum; ergo, si dicitur de Deo, dicetur de tota Trinitate, quod omnino falsum est. Respondet D. Thomas obscurissime, hoc nomen, *homo*, non sequi regulam absoluti, sed relativi prædicati respectu Dei, quia dicitur de Deo ratione unionis in persona, quæ est relatio. Quæ responsio Cajetano et aliis

Thomistis negotium facessit. Sed res est clara; solutio enim argumenti facilis esse posset, prædicata absoluta, quæ conveniunt Deo ab æterno, et sunt illi intrinseca et connaturalia, esse communia toti Trinitati, non vero prædicatum absolutum, quod convenit Deo ex tempore, ratione assumptæ naturæ. Et hoc ipsum explicavit D. Thomas illis verbis, quibus simul declarare voluit quomodo potuerit aliquod prædicatum absolutum convenire uni personæ ex tempore, et non aliis; quia unio, quæ est fundamentum hujus prædicationis, est unio in persona, et consequenter relationem dicit ad illam personam, et non ad alias; nam, licet per hanc propositionem: *Deus est homo*, non prædicetur illa relatio, sed substantia absoluta, tamen per relationem optime explicatur, cum prædicatum illud aliis personis incommunicabile sit.

## ARTICULUS II.

*Utrum hæc sit vera: Homo est Deus*<sup>1</sup>.

1. *Ad secundum sic proceditur. Videtur quod hæc sit falsa, Homo est Deus. Deus enim est nomen incommunicabile, secundum quod Sapient. 13 reprehenduntur idololatræ, de hoc quod hoc nomen, Deus, quod est incommunicabile, lignis et lapidibus imposuerunt. Ergo pari ratione videtur esse inconueniens, quod hoc nomen, Deus, prædicetur de homine.*

2. *Præterea, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto. Sed hæc est vera, Deus est Pater, vel Deus est Trinitas. Si ergo hæc sit vera, Homo est Deus, videtur quod hæc etiam sit vera, Homo est Pater, vel, Homo est Trinitas, quas quidem patet esse falsas; ergo et primam.*

3. *Præterea, in Psal. 80 dicitur: Non erit in te Deus recens. Sed homo est quiddam recens; non enim Christus semper fuit homo. Ergo hæc est falsa, Homo est Deus.*

*Sed contra est quod dicitur Roman. 6: Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Sed Christus secundum carnem est homo. Ergo hæc est vera, Homo est Deus.*

*Respondeo dicendum quod, supposita veritate utriusque naturæ, divinæ, scilicet, et humanæ, et unione in persona et hypostasi, hæc est vera et propria, Homo est Deus, sicut et ista, Deus est homo. Hoc enim nomen, homo,*

<sup>1</sup> Locis sup., art. 1, inductis.

*potest supponere pro qualibet hypostasi humanæ naturæ, et ita potest supponere pro persona Filii Dei, quam dicimus esse hypostasim humanæ naturæ. Manifestum est autem quod de persona Filii Dei vere et proprie prædicatur hoc nomen, Deus, ut in prima parte habitum est<sup>1</sup>. Unde relinquitur quod hæc sit vera et propria, Homo est Deus.*

*Ad primum ergo dicendum, quod idololatræ attribuebant nomen deitatis lapidibus et lignis, secundum quod in sua natura considerantur; quia putabant in illis aliquid numinis esse. Nos autem non attribuimus nomen deitatis Christo homini secundum humanam naturam, sed secundum suppositum æternum, quod est etiam per unionem suppositum humanæ naturæ, ut dictum est<sup>2</sup>.*

*Ad secundum dicendum, quod hoc nomen, Pater, prædicatur de hoc nomine, Deus, secundum quod hoc nomen, Deus, supponit pro persona Patris; sic autem non prædicatur de persona Filii, quia persona Filii non est persona Patris. Et per consequens non oportet quod hoc nomen, Pater, prædicetur de hoc nomine, homo, de quo prædicatur hoc nomen, Deus, in quantum ly homo supponit pro persona Filii.*

*Ad tertium dicendum, quod, licet humana natura in Christo sit quiddam recens, tamen suppositum humanæ naturæ non est recens, sed æternum. Et quia hoc nomen, Deus, non prædicatur de homine, ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi, non sequitur quod ponamus Deum recentem. Sequeretur autem, si poneremus, quod homo supponit suppositum creatum, secundum quod oportet dicere eos qui in Christo ponunt duo supposita.*

## COMMENTARIUS.

Affirmat D. Thomas, et est res certa, et satis in superioribus confirmata. Et tota littera articuli est perspicua. Possunt tamen hic moveri fere eadem dubia quæ in præcedenti articulo tractata sunt. Sed hic minorem habent controversiam, nam de suppositione illius subjecti, *homo*, parum refert, sive dicatur supponere indefinite, sive trahi a prædicato ad supponendum pro tali supposito, ut Cajetanus hic docet; utroque enim modo propositio est æque vera, et prior modus videtur magis consentaneus communi usui talium

<sup>1</sup> 1 p., q. 39, art. 3 et 43

<sup>2</sup> In cor. art.